

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Regina Arabiae seu psychuran hierosolymoporeia**

**Rachel, Joachim**

**Hamburg, 1653**

Judicium reverendi admodum, clarissimi, [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-160500](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160500)

# JUDICIUM

*Reverendi admodum, Clarissimi, &  
Excellentissimi VIRI,*

**DN. JOHANNIS**  
**Reinboth** / S. S. Theol. Do-  
ctoris & Ecclesiarum Cimbrica-  
rum Superintendentis vigi-  
lantissimi. &c.



**V**IR Reverende & Do-  
ctissime, Dn. Amice dilecte,  
Tuas Meditationes de Regi-  
nâ Austri, quas nuper trans-  
misisti, accepi & perlegi. Vi-  
deo, non infeliciter te sen-

suum literalem jam nominatæ Historiæ aspec-  
tum: neque Moralia neglexisti; sed, quæ ex  
textu fluunt, diligenter & dictis exemplisq;  
scripturæ & aliis Historiis illustrasti. Allego-  
rias etiam tuas Scripturæ conformes judico,  
illasq; video etiam Patribus placuisse, præpri-  
mis Augustino serm. 253. de Temp. vel Evche-  
rio, cujus verba f. 896. apponere placet: Sic  
ut hæc Regina venit à finibus terræ, id est, In-  
dia, ut quidam dicunt, audire sapientiam Sa-  
lomonis: ita venit Ecclesia post multa secula  
ad Redemptorem & Eruditorem suum, ut post  
stulticiam erroris doctrinam perciperet Veri-  
tatis.

ratis. Hæc est illa Regina, de quâ ad DOM-  
NUM dicitur: *adstitit Regina à dextris tuis in ve-*  
*situ deaurato.* &c. i. e. diversarum circumdata  
pretiosò decore virtutum. Hæc enim omni-  
um credentium mater est, quæ natos ad mor-  
tem regenerat ad salutem, per quam CHRIS-  
TUS plus restituit in gratiâ, quàm perit in  
naturâ, & de Adæ transgressionis genere, pro-  
lem in adoptionem divinæ paternitatis as-  
sumsit & de Paradiso exhæredatos cælo red-  
didit Cives. Hæc post Synagogam quidem  
vocata, sed ante Synagogam promissa. Hæc  
in iam primo homine præfigurata est: Nam  
sicut ex Adæ latere fabricata est Eva; ita ex  
CHRISTI corpore & vulnere redempta crevit  
Ecclesia. *Ingressa Hieros.* &c. Ergo in figura  
Reginæ hujus Ecclesia venit ex gentibus à fini-  
bus terræ, imponens finem cupiditatibus viti-  
isq; terrenis, audire sapientiam Salomonis  
i. e. Viri pacifici Dn. nostri J. CHRISTI, qui  
fecit utraq; unum: solvens inimicitias inter  
Deum & hominem in carne sua: venit post ve-  
teres & profanas superstitiones audire &  
discere de fidei illuminatione & judiciò futu-  
rò, de animæ immortalitate & spe resurrecti-  
onis & gloria. Venit ergo in Jerusalem cum  
multò comitatu, i. e. non cum unâ tantum  
Gente Judæorum, sicut prius Synagoga solos  
habuit Hebræos, sed totius mundi gentibus  
diversisq; nationibus. Venit ergo *exhibens*  
*munera CHRISTO, aurum & gemmas preciosas*  
*et, hæc*



ficitur cœlestib. epulis, profectibus nostris.  
Cibus ejus sumus, dum acquisiti ab Ecclesia in  
membra ejus corpusq; transimus, vel cibus ejus  
Sacramenta cœlestia, de quibus dicitur:  
*Panem cœlô dedit eis, panem angelorum manducabit  
homo. Vidit & holocausta. &c.* Orationem,  
sine dubiô, supplicationum mysteria & obstu-  
puit, ibi vidit inæstimabiles divitias Domini  
sui. *Dixitq; ad regem. &c.* Cum ergò hæc, si-  
ve Ecclesia, sive quæque anima sancta, cum  
pervenerit in æternam i. e. visionem pacis &  
ingressa fuerit æternam requiem & gloriam  
cœlestium promissorum, multò plura & ma-  
gnificentiora prospiciet, quam ei sunt in hac  
vitâ per sacra eloquia, per Prophetas & Apo-  
stolos nunciata: *nunc enim tanquam in speculo  
& enigmate, tunc autem oculis videbit* i. e. facie ad  
faciem. Cum, inquam, unaquæque anima  
fidelis & sancta in illô seculo plena bonorum  
operum fructibus divinis fuerit præsentata  
aspectibus, exhibens in se, imò seipsam Xenium  
DEO suo proferens, digna cœlo & valitu-  
ra cœlum multiplicia munera gemmas misericordix,  
justiciæ margaritas, diversorum ornamenta meritorum  
i. e. aromata compunctionis & sive olentis balsama castitatis,  
proferens, sicut dixi, aurum infinitum nimis i. e.  
integrum in se reassignans, pro inæstimabili  
precio Redemptoris spiritalib. cordis & corporis  
oblationibus placitura, ut possit, cœlestium  
mirabilibus inserta vocem propheticæ  
exalta-

exaltationis assumere: *Introibo in domum tuam cum holocausto.* Tunc beata & illustris Anima inter stupendas Remuneratoris sui constituta divitias, ineffabilibus reginæ hujus verbis uti ad Deum poterit, dicens: *Verus est sermo, quem &c.* Hoc est dicere, O Domine, de tribulationibus meis magna quidem sperare præsumsi, sed majorem percepi veniam: manifestum dulcedinis magnitudine cogitationis meæ sensum exsuperat remunerationis præmium. Et revera id, quod parat DEUS diligentibus se non comprehenditur, spe non attingitur, caritate non capitur, desideria & vota transgreditur, acquiri potest, ætimari non potest. Videbit homo merita sua insuspicabili retributionum largitate succrescere, habebit de perceptione fructum, non habebit de satietate fastidium. Hactenus Evcherius, quibus etiam adjungere possem nonnulla ex Ambrosio lib. 2. de Offic. c. 10. quæ tamen hac vice non addo. Poterit aliò tempore fieri. Ad Tractatum tuum autem ut redeam, illum non approbo tantum, sed & bonis omnibus commendo. Tibi autem à DEO sanitatem & donorum tibi concessorum incrementa opto. Vale. Dab. Slesvigiæ 16. Kal. April. 1653.

T. Rev. Præst. Amicus

Johannes Reinboth D. Superin-  
tendens Generalis & Concionator

Aulicus,

c 11j

Carmina,